
 / Ill^{me} et Rev^{me} Domine.

Mirabilem Praescriptionum mearum casum! quae tam longinquis
 oris vagatae, tam incertis authoribus ad te delatae nullum tamen
 neque erroris comitem, neque viae ducem nominare potuerunt. Suspi-
 5 cari licet, haud abfuisse eum, Cuius via in mari, et semitae in a-
 quis multis, cuius vestigia non cognoscuntur, qui deduxit sicut oves
 populum suum, in manu Moysi et Aaron. Sed utcumque sit, gaudeo mu-
 nusculum meum tibi redditum, qui quod tam liberaliter de opella e-
 tiam mea sperare audes, facis tu quidem singulari quodam tuo in me
 10 amore, renovasque memoriam Magni illius Pontificis Gregorii, qui
 aliquando laudes suas a probato quodam viro decantari audiens, ita
 respondisse fertur: "Deum deprecare frater, ut his quae de me prae-
 dicas, dignus efficiar, sicut et tu dignus es, cuius opinio impro-
 bari non debeat. Sed plerumque evenit, ut ea quae de iis, quos ama-
 15 mus in medium proferimus, maiora vero sint. Itaque quamvis ista
 commendatione tua longe inferiorem me esse agnoscam, charitati ta-
 men gratias ago." Idem ego tibi, Ill^{me} Bellarmine: cui ut placere
 quam maxime cupio, ita vitam longissimam opto. Mogunt. Non. April.
 1603.

20 [Justi Baronii, Epistolarum sacrarum, lib.IV,let.6,p.317=318.]